



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 112. Turpis Justiniani fuga

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

& gladiis crudelem in modum protrude- Sæcul. XV.  
Deni- A. C. 1453.  
bant, fere omnes repletæ erant. Deni-  
que Mahometes Christianos certaminis  
laboribus fessos, fractosque existimans,  
classicum canere, ac tormenta explodere  
jubet, eos, qui muros tuebantur, disper-  
furus. Eodem temporis articulo milites  
validi, ac bello exercitatissimi terra ma-  
riique urbem oppugnant, omnesque eo  
die sive metu sive spe, vel ipsa gloriæ cu-  
piditate animati stupenda fortitudinis  
suæ specimina edunt, quorum tamen in-  
sultus Christiani haud inferiore animi  
robore sustinebant. Imperatoripse atque  
Justinianus, genuina Heroum soboles,  
solidas duas horas assiduo labore, tanta-  
que animi fortitudine dimicabant, ut  
Turcæ omnino pedem referre cogerent-  
tur, nil proficientibus Sultani tum mo-  
nitis, tum minis.

### §. CXII.

#### *Turpis Justiniani fuga.*

Accurrunt itaque Janissarii cedentibus  
opem laturi, qui horum auxilio animati  
in medios ignes, sagittas, atque lapides  
super sciorum cadavera in acervum con-  
gesta irruunt, tandemque turres, ac mu-  
ros transcendunt, nil morante hostium  
reprimentium robore. Primus omnium  
ex Janissaris unus murum superavit, ac

*Hist. Eccles. Tom. XXVIII. Aa Tur-*

**Sæcul. XV.**

A.C. 1453.

Turcicum vexillum vallo infixit, quem continuo triginta alii secuti sunt, victoriæ spe accensi. Nec feliciori Marte prælium navale in portu commissum est, postquam turris, quam Turcæ aggressi erant, in eorum potestatem redacta fuit. Tandem vero belli fortuna a Græcorum partibus prorsus deficere visa est, dum Justinianus in crure dextro sagitta, & in manu bombardæ globo saucius per summam ignaviam stationem suam deseruit, & nemine alio in exercitus Duce in sui vicem subrogato penitus e castris ex cessit.

Constantinus, qui majori discrimine pressis opem latus quaquaversum cur sitabat, casu advenit, dum Justinianus fugam parabat. Irrito prorsus conatu fugienti exposuit Imperator, Urbis, cuius defensionem suscepisset, salutem ab ipsius unius constantia dependere, nec exiguum turpi hac fuga honori suo labem inuredam, nomenque suum æterna ignominia maculandum. Verum Justinianus his nihil motus, urbe relicta Peram trajecit, atque inde in Chiensem Insulam navigavit, ubi aut dolore vulnerum, aut forte pudore fugæ inglorius obiit, quem immortali gloria dignum celebrassent omnes, si inter ipsas urbis Constantinopolitanæ rui nas cecidisset.

§. CXIII.